

esse consuetudines, quam corruptelas et abusus, easque propterea esse corrigendas vel auferendas : quare nec capitulo nec cuiquam alteri molestum esse debet, si Episcopus id faciat.

Advertendum secundo, quædam accusari novitatis, quæ sunt perantiqua, et injuria temporum vel hominum incuria in desuetudinem abierunt. Hæc porro in usum revocare, non raro sanctum ac pium est, sed sæpius etiam necessarium.

Advertendum demum tertio, ac potissimum cavendum quidem Episcopo a facilitate innovandi, non tamen illi esse recedendum ab omni omnino novitate. Nam aliquando bono ecclesiæ ac religionis expedit, ut statuta quædam antiqua mutantur, et nova decernantur : quod quidem ex S. Th. 1, 2, q. 97 art. 2, continget, vel ex hoc, quod aliqua maxima et evidentissima utilitas ex novo statuto proveniat, vel ex hoc, quod antiquæ legis ususque observatio sit hic et nunc plurimum nociva.

2. Proderit etiam ad tuendam pacem, si Episcopus nihil temere et sine maturo consilio agat. Antequam quidquam mandet aut exequatur, viros peritos consulat, et si non adsint, quorum consilio fidere possit, scribat, si tempus patiatur, ad absentes.

3. Valde ad pacem conferet, si Episcopus in rebus statuendis, etiamsi non teneatur, tamen sui capituli consilium adhibere non respuat. Profecto id Cardinali Bellarmino Archiepiscopo Capuano causæ fuit, cur ipso regente omnia non solum summa concordia, sed uno eodemque spiritu ductuque agi viderentur. Mira semper fuit consensio inter Episcopum et capitulum, ita ut mutuis decertarent officiis, et quo plus sibi credi, quo liberalius se tractari videbat capitulum ; eo libentius, ne videlicet humanitate vinceretur, in propositi ab Archiepiscopo negotii procuratione promptum ac studiosum se exhibebat.

### § 2. De capitulo seu canonicis erga Episcopum.

1. Quia Canonici ex primæva sua institutione sunt consiliarii, senatores et cooperatores Episcopi, ad præbendas vocati, ut Episcopus suos officio et opera juvent ; facile intelligitur quales sese vicissim debeant erga Antistites suos exhibere... Canonici quam maxime paci studeant, ne aliorum offensionem incurrant, et nominis sui dignitatem altercatione dehonorent... Meminerint Antistitem suum esse patrem patrum, et ut in constitutionibus Clementis

legitur, ipsum exemplar Dei apud omnes homines repræsentare, præsidendo omnibus hominibus, sacerdotibus, regibus, magistratibus, parentibus, filiis, et pariter cunctis subditis (1).

Capitulum Episcopo debet reverentiam, in deferendo illi signa honoris, quæ Episcopo adeo sunt debita, ut canonici quamvis exempti ea minime denegare possint ; et etiam obedientiam, in iis quæ Episcopus potest mandare et de facto mandat, atque in abstinendo ab iis, quæ Episcopus potest prohibere, et de facto prohibet, ut § præc. ad V, dictum est (2), nec non in adjuvando in diœcesis administratione ; et propterea canonici recusare non possunt delegationem causarum ac alia officia necessaria pro tribunali Episcopi (3).

II. Capitulum tamen sua etiam jura habet, v. g. ut Episcopus ejus consensum aut consilium exquirat, ut dictum est cap. XV.

Quoad synodum diœcesanam, certum est, Episcopum eandem libere convocare posse absque consilio aut consensu capituli (4) ; ad diœcesanam tamen synodum canonici ecclesiæ cathedralis juxta præsentem disciplinam invitandi sunt (5) ; et licet aliqui affirmant, canonicos cogi non posse, ut synodo intersint, nisi agendum sit de negotiis ad eos pertinentibus, aut de rebus, in quibus ab Episcopo consilium capituli est exquirendum ; attamen sententia opposita, obstringens canonicos cathedralis ad interveniendum synodo, saltem per aliquot e capituli gremio deputatos, magis recepta est apud doctores, et usu comprobata, quia censentur constituti in quadam quasi dignitate, comparanda cum prioribus et decanis, quos semper ad synodum adactos vidimus : et quia nunquam accidit, ut in synodo non tractetur de horis canonicis rite persolvendis, de cleri moribus reformandis, de restauranda ecclesiastica disciplina, cæterisque, quæ ipsos quoque canonicos respiciant ; in quo rerum eventu, omnes doctores consentiunt, non licere canonicis se a synodo excusare (6). Quoad statuta et constitutiones synodales consilium capituli adhibendum est, ut dictum est cap. XV, § 6 ad 6. Solius autem Episcopi est, synodales constitutiones sua firmare

(1) Ita Molanus de canonicis lib. 2, c. III.

(2) Andreucci n. 37 et 51.

(3) Scarfantonus, lib. IV, tit. XVI, n. 51-53.

(4) S. C. C. 17 Maji 1599 in *Oriolensi*, et 1639 in *Fulginatensi*; Bouix de capitulis p. IV, c. V.

(5) Bened. XIV de Syn. lib. III, cap. IV, n. II, cum communi.

(6) Ita Bened. XIV loco cit.

subscriptione, quia solus Episcopus est, qui jurisdictionem habet, et potestatem ferendi legem; canonici autem ad diocesanam synodum vocantur, tanquam meri Episcopi consilarii: quapropter synodo subscribere non debent, nec possunt, ne judiciariam potestatem usurpare videantur, quæ ex subscriptione inferri diceretur (1).

Capitulum ecclesiæ cathedralis etiam invitandum est ad synodum provincialem; invitum autem compelli nequit; ei per procuracionem interesse licet; si adsit, votum mere consultativum, et non decisivum habet (2).

III. Capitulum, sede plena nullam habet jurisdictionem actua-lem, quia administratio et exercitium jurisdictionis episcopalis ad solum spectat Episcopum, tanquam ad ordinarium judicem totius diocesis: ita ut, vivente Episcopo, capitulum sine ejusdem auctoritate et consensu, proprie dictas leges sive statuta condere nequeat de iis, quæ Episcopum respiciunt, quæ ad diocesium spectant, quæ ad communem ecclesiæ statum pertinent, quæ circa majora aut ardua negotia versantur, uti augere aut minuere præbendarum numerum (3); neque immutare aut abrogare possit statuta vel constitutiones synodales, neque consuetudinem approbatam aut in-ventam (4).

Capitulum tamen sine consensu Episcopi constituere potest mi-nora, quæ nec Episcopum, nec statum ecclesiæ concernunt, sed propria ipsius capituli negotia respiciunt, puta ut quotidianæ dis-tributiones certis modis distribuantur; ut non vocati certis tempo-ribus ad capitulum conveniant; ut ad pulsum hujus vel illius com-panæ ad chorum vel capitulum vocentur; vel super aliquo quod, citra auctoritatem alicujus superioris, tantummodo concernit eccle-siæ servitium, ordinationem chori aut cultum divinum; vel super administratione communium honorum capituli, in quibus capitulum habet administrationem seorsim ab Episcopo; vel super aliis hujus-odi. Talia tamen statuta non sunt in rigore leges, sed ordinationes quædam sub fidelitate obligantes (5).

(1) Bened. XIV de Syn. lib. XIII, cap. II, n. 1 et 2; Scarfantonus lib. IV, tit. III, animadv. 17 et 18.

(2) Bened. XIV de Syn. lib. III, cap. IV, n. 1; Lucius Ferraris *capitulum* art. III, n. 16 et 17; Craisson n. 2434.

(3) Barbosa de canonicis cap. 42, n. 16; Pirhinc, lib. 1, tit. XXXIII, n. 42; Scarfantonus lib. IV, tit. XIV; Andreucci n. 136 et 138.

(4) S. C. C. 14 Maji 1774, § 18, *Imol.* apud Zamboni tom. 4, *Canonicis*, § IV; Lucius Ferraris, *Capitulum* art. III, n. 7-12.

(5) Fagnanus in 1, p. 1, Decretal. *De Constitut.* cap. *Cum omnes*, n. 37; Reif-

IV. Capitulum etiam jus et facultatem habet, capitulares delin-quentes corrigendi (1), sed per modum simplicis, domesticæ et pa-ternæ correctionis.

Canonicus decanus, seu prima dignitas nulla privative quoad capitulum potitur facultate puniendi per modum fraternæ correc-tionis alios canonicos et beneficiatos, seu ministros ecclesiæ servitio addictos in eorum munere delinquentes, sed id ad universum capi-tulum spectat (2). Capitulum tamen hoc jus per digniorem seu alium canonicum specialiter deputatum exercere solet, qui inobedientes, contumaces ac in divinis mysteriis delinquentes punire potest ac debet (3).

Capitulum autem leviores tantum canonicorum excessus corrigere et punire potest, v. g. verba injuriosa prolata et similia, quorum cognitio capitulo ad simplicem correctionem extrajudicialiter indul-getur (4); etiamsi extra chorum et ecclesiam commissa fuerint in functionibus ecclesiasticis, in quibus capitulum sub cruce procedit (5). Unde Sacra C. Congregatio statuit (6) capitulo tantum competere, ecclesiæ ministros pro levibus excessibus corrigere et mulctare, minime autem pro gravibus. Inde etiam sequitur, capitulum gra-vem pœnam aut mulctam infligere non posse, v. g. canonicum voce aut stallo privare, inhabilem ad officia declarare (7).

V. Capitulum potitur quoque jure et facultate corrigendi, pu-niendi et mulctandi beneficiatos, capellanos, portionarios. Hoc jus venit in sequelam juris præsidendi in choro, quod ad capitulum spectat, et quod illud exercet vel per digniorem vel per alium cano-nicum specialiter deputatum. Capitulum tamen non quæcumque delicta corrigere et punire potest, sed solos excessus leves, circa mores et servitia chori, uti non recte pronuntiare, non assistere, a choro recedere sine petita licentia; et tantummodo levi pœna per

fenstuel in 1, p. I Decretal. tit. 2, *De Constitut.* n. 87; Barbosa de canonicis, cap. 42, n. 15 et 16; Pirhinc lib. 1, tit. XXXIII, n. 42; Lucius Ferraris *Capitu-lum*, art. III, n. 1 et 74; Andreucci n. 135 et 137, aliique communiter.

(1) Scarfantonus lib. 1, tit. III, animadv. 45.

(2) S. C. C. 15 Dec. 1736, *Colon.* § 3, apud Zamboni tom. 4, *Canonicus* § II.

(3) Scarfantonus ibidem n. 39.

(4) S. C. C. 16 Sept. 1664, *Suessionen* dub. 2, apud Zamboni *Capitulum eccl.* § III, n. 7; Decis. S. R. R. XXXII, n. 12 in 1 p. Scarfantoni.

(5) S. C. C. 3 Dec. 1735, *Civitatis provincie Compostellanæ* dub. 2, confirmat. 12 Mart. 1746, apud Zamboni ibid. n. 41.

(6) Ibidem n. 40, dub. 1.

(7) S. C. C. loco cit. Bouix p. IV, cap. VI.

modum simplicis correctionis domesticæ, v. g. privatione distributionum ad modicum tempus, vel solius illius horæ in qua quis delinquit, vel alia simili mulcta levi; non autem pœna gravi, ut subtractione distributionum ad longum tempus: quia cognitio et punitio gravium excessuum, qui gravi pœna puniendi sunt, ad solum spectant Episcopum (1). Si a beneficiatis et capellanis grave delictum in choro committatur, tunc capitulum Episcopum de gestis ab ipsis certiore reddere potest, ut iste jurisdictione sibi in his casibus competente, delinquentes mulctare valeat pœna condigna (2).

Hoc autem capituli jus corrigendi et mulctandi beneficiatos et capellanos, limitandum venit in casu quo Episcopus non adest: nam cum Episcopus assistit, capitulum hoc jus non exercet privative ad Episcopum, sed ad summum cumulative tantum cum illo (3).

VI. Eadem capituli potestas etiam extenditur ad condenda statuta pœnalia contra capitulares et ecclesiæ ministros in officio delinquentes, dummodo non excedant modum fraternæ correctionis ac levis mulctæ: quia tametsi capitulum cathedrale, vivente Episcopo, absolute loquendo, jurisdictionem non habeat; cum tamen, si separatim sine Episcopo consideretur, collegium constituat, et intra terminos suæ potestatis aliqua statuta facere valeat, consequenter iisdem pœnam adjudicare valet, ut firmiter observentur. Hujusmodi statutum pœnale non quidem obligat vi alicujus jurisdictionis, qua caret capitulum, sed per modum alicujus pacti seu conventionis, vi cujus capitulares se obligant ad servandum statutum sub illa pœna (4).

Mulcta nullatenus cedere potest in particularem statuentium seu capitularium utilitatem, sed convertenda et eroganda est in ecclesiæ aliosve pios usus (5).

A mulcta per capitulum imposita datur appellatio ad Episcopum (6).

(1) Pallottini *Capitulum*, § III, n. 31 et seqq.; Scarfantonus lib. 1, tit. III animadv. 37-44; Decision. S. Rot. 23 Jan. 1702 in 1 p. Scarfantoni, 47, n. 1 et seq. Andreucci n. 137.

(2) Decis. S. Rot. ibidem n. 6.

(3) Scarfantonus lib. 1, tit. III, animadv. 43.

(4) Fagnanus in 1 p. 1 Decretal. de Constit. cap. *Cum omnes*, n. 37-43; Pirhinc, lib. 1, tit. XXXIII, n. 43; Lucius Ferraris *Capitulum* art. III, n. 2; Scarfantonus lib. I, tit. III, animadv. 45-47.

(5) S. C. C. 3 Dec. 1735 *Civitatis provincie Compostellance* dub. 3; Scarfantonus loco cit. animadv. 38.

(6) S. C. C. apud Bouix de capitulis p. IV, cap. VI, in fine.

Hujusmodi autem statutis pœnalibus non ligantur canonici successores, nisi ab Episcopo confirmata fuerint (1), vel nisi promiserint aut juraverint se ea servaturos.

VII. Regimen et administratio ecclesiæ cathedralis et honorum ejusdem ecclesiæ spectat simul ad capitulum et Episcopum (2). Hinc capitulum sine consensu Episcopi admittere nequit foundationes missarum et anniversariorum (3), nec repudiare legata aut donationes (4).

Parvæ tamen reparationes, quæ ecclesiæ aut altarium statum vel formam haud immutant, nec non innovationes aut dispositiones quædam circa res mobiles non pretiosas, præsertim necessitate vel utilitate suadente, capituli arbitrio relinquendæ videntur, quia capituli facultas alias nimis cohiberetur. Item paramenta mutare et reparare potest, sicut de mobilibus non pretiosis disponere, prout opus fuerit, dummodo non adsit consuetudo, ut id de Episcopi consensu fiat (5). De reliquiis in cathedrali existentibus putat Andreucci (6), quod capitulum aliquod frustulum elargiri valeat, nisi aliter ferat consuetudo aut expressa Episcopi prohibitio.

VIII. Administratio eleemosynarum anniversariorum, exequiarum aliarumque piarum oblationum spectat ad capitulum privative ad beneficiatos et capellanos, licet de iisdem participant, ut regulariter fieri debet, et licet, dum de eorum interesse agitur, capitulo interesse possint; modo horum omnium distributiones more solito peragantur: si enim capitulum antiquam ecclesiæ consuetudinem immutare vellet, et novum distributiones faciendi modum inducere, requireretur auctoritas Episcopi, qui de consensu capituli novam consuetudinem inducere potest, si ipsa bona sit et laudabilis (7).

IX. Nominatio et remotio officialium capitulo inservientium de jure pertinent ad capitulum, non autem ad dignitatem, neque ad Episcopum, quia alias jura capituli in propria ecclesia nimis coarctarentur. Ipsa etiam nominatio ab Episcopo confirmanda non est (8).

(1) S. C. C. 31 Mart. 1607, apud Fagnanum in I p. I Decret. De Constit. cap. *Cum omnes* n. 43.

(2) Andreucci n. 138 Vid. § præc. ad VIII.

(3) Vid. decretum Urbani VIII, 21 Jun. 1625, § 8.

(4) Andreucci ibidem.

(5) Barbosa de canonicis cap. 42, n. 14; Andreucci ibid.

(6) Loco cit.

(7) Ita Scarfantonus lib. 1, tit. III, animadv. 50 et 51.

(8) S. C. C. 1 Aug. 1750 in *Tarentina* dub. 1 et 2; 13 Junii 1789 in *Senogallien*,

Disciplina vero et regimen immediatum istorum officialium et inservientium sub dignitatis auctoritate relinquenda videntur (1).

X. Capitulum seu ecclesia cathedralis paramenta pontificalia subministrare tenetur Episcopo pontificalia exercenti, sive in ipsa ecclesia cathedrali sive extra eam; ita ut Episcopus illa sibi procurare non debeat (2). Sacra autem R. Congregatio interrogata « an » ecclesia vel sacristia teneatur subministrare paramenta pontificalia proprio Episcopo? respondit: Episcopum posse uti præfatis paramentis pontificalibus (3). » Ita ut Episcopo liberum sit, vel propriis vel ecclesiæ uti paramentis; et si ecclesiæ paramentis uti voluerit, hæc illa subministrare teneatur. Vicissim autem post mortem Episcopi ecclesiæ cathedrali debentur plura utensilia ab Episcopo relicta, ut dicitur et explicabitur infra cap. XVIII, § 3, ad VI, ubi de munere capituli sede vacante.

XI. Canonici ecclesiæ cathedralis tenentur quolibet anno reddere Episcopo rationem administrationis omnium officiorum, quæ ab ipsis exercentur (4).

XII. Capitulo praxis proponitur ad pacem cum Episcopo tuendam ex Andreucci (5), unde sequentia desumpta sunt.

1° Ut capitulum cum suo Episcopo ea qua decet concordia et amore semper conjunctum sit, expediet quam maxime, si capitulares cogitent, ac memoria repetant, gravissime eos a Deo vindice puniri, qui suo Episcopo molestiam creant, turbas excitant, ac dissensiones fovent.

2° Expediet etiam ad pacem conservandam, ut capitulares plane sibi persuasum habeant: *capitulum ab Episcopo, non autem Episcopum a capitulo legem accipere oportere*. Proponant quidem Episcopo, quæ sibi opportuna vel importuna, probanda vel improbanda videantur; at liberum ipsi omnino relinquunt proprio arbitratu cuncta moderari, et sancte custodiant, quidquid Episcopus in Domino judicaverit. Extant hac de re præclara sanctorum virorum exempla: S. Franciscus Salesius cum esset præpositus capituli Genevensis, Episcopo suo Granerio præsto erat, et

dub. 11; 17 Junii 1797 in *Firmana* dub. 3 apud Zamboni tom. 1, *Capitulum eccl.* § VI, n. 18-21, 26 et 29.

(1) *Analecta juris Pontif.* 1863 sér. 6, fol. 2044 et 2045.

(2) Scarlantonus lib. 2, tit. II, animadv. 5, et lib. 3, tit. VII, animadv. 12 et 13.

(3) 9 Dec. 1634, *Barbastren*, l.

(4) Ita S. C. C. 12 Jul. 1687, *Asten*, apud Zamboni *Canonici* § VI, n. 25.

(5) Cap. VI, n. 184 et seq.

eidem rei propositæ difficultates sincere explicabat; at ubi Episcopus iis non obstantibus præciperet, illico se promptum et expeditum in obedientia observantiaque præstabat, etc.

3° Capitulares unius vel alterius præfervidi ingenii sermones contemnant. Sæpe non desunt in morigeratis etiam cœtibus, qui statim inardescunt, et ad extrema præcipites ruunt. De talibus dicit Ecclesiasticus VIII, 20. *Cum fatuis consilium non habeas: non enim poterunt diligere nisi quæ eis placent.*